

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

recipiatur: ut ex hoc humilitas eius comprobet. Quod si denuo exierit: usque tertio ita recipiatur. Iam vero postea: sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari. De pueris minori etate qualiter corripiantur. Capitulum xlix

Capitulum 50.

Omnis etas aut intellectus: proprias debet habere mensuras. Ideoque quotiens pueri uel adolescentiores etate aut qui minus intelligere possunt quanta pena sit excommunicationis: hi tales dum delinquunt. aut ieiuniis nimiis affligantur: aut acribus verberibus coherceantur ut sanentur.

Capitulum 51.

De cellerario monasterii qualis sit. Capitulum l.

Cellerarius monasterii eligatur de congregatione. sapiens: maturis moribus: sobrius: non multum edax: non elatus: non tardus: non prodigus: sed timens deum: qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus. Sine iussione abbatis nichil faciat. Que iubentur custodiat. fratres non contristet. Si quis autem frater forte ab eo aliquid irrationabiliter postulat: non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiat: memor semper illius apostolici: quia qui bene ministrauerit gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum. infantum. hospitum. pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat: sciens sine dubio. quia pro his omnibus in die iudicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam: ac si altaris vasa sacrata conspiciat. Nichil ducat negligendum. Neque auaritie studeat: neque prodigus sit et extirpator substantie monasterii. sed omnia mensurate faciat: et secundum iussionem abbatis. Humilitatem ante omnia habeat: et cui substantia non est que tribuatur: sermo re-

Diuisio +